

officio ingeram, a quo absolvi iam antea petivi?“ Et dominus ad haec: „Non est opus, ut te ingeras, sed tantum, ut petentibus acquiescas.“ Accepta igitur sponsione divina laetus efficitur in ea, quia omnium bonorum largitorem ex sponsione propria suum habuit debitorem. Rogatus itaque a senioribus quibusdam missis de consilio mox acquievit et officium pridem annis quindecim bene gubernatum iterum suscepit atque illud deinceps aliis decem annis magis strenue gubernavit. Vos igitur, carissimi, qui onus in administratione officiorum et curam de rebus monasterii cum timore dei portatis, illud libenter et patienter pro nomine crucifixi portate et in beato Conrado exemplar accipite. Divina gratia^q enim largius semper cooperatur fideli dispensatori et omnia necessaria tribuit humiliter postulanti.

Cap. 11 [Beata^r virgo^s consolatur Conradum post laborem manuum]
 Consuetudo erat evangelico negotiatori, nunquam a bono opere otiari, quin potius in scala Iacob ad caelum erecta aut angelorum more descendere ad utilitatem proximi vel ascendere ad caelestium contemplationem. Quapropter omne tempus sibi concessum ad meritum sic fuit ab eo bipertitum, ut aliud cum Martha in activo labore expenderet et aliud cum Maria dulcedini contemplationis reservaret. Utriusque autem vitae actrix et doctrix Maria, mater domini Iesu, delicatam consolationem suam attulit fideli servo, domino Conrado, se in utraque vita exercenti. Perpende primo, qualiter consolatione beatae Mariae sit recreatus, cum in labore et in sollicitudine Martha staret occupatus. Contigit enim, ut in una dierum aestivi temporis, cum sol in Iulio arderet, fidelis operarius stans in caumate in collectione faeni operosis manibus se totum ad laborem incitaret. Libenter enim portavit pondus diei et aestus, quia in vitae vespera expectabat denarium mercedis aeternae reddendum. Praesertim quia otium omnium vitiorum est sentina, ideo libenter vescebatur pane suo in vultu sudore perfuso. Die itaque illa vergente ad vesperam et conventu redeunte tanto labore fatigatus est, ut vix pedetentim repedare posset. Fatiscentibus tamen adhuc membris ipsius conabatur, spiritum deo praesentem in oratione exhibere. Ingressus oratorium easdem fatigatas manus expandit ad caelum et effudit cor suum ante conspectum domini dei sui. Cui beata dei genitrix Maria apparuit et hoc consolatorio eulogio allocuta est: „Serve dei, opus tuum gratum relucet ante conspectum filii mei et ipse merces tua et

q) *fehlt W₁*. r) *davor gestrichen* B(eatus) Con W₁. s) *dahinter gestrichen* post W₁.